



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Funere mulieris nobilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Judic. 9. *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum veni & impera super nos.* S. Method lib 1. de Castit. per rhamnum intelligit castitatem, illi dicunt Angeli, impera super nos. Habuit amorem pauperum. Chrysol. *In regno celorum coram omnibus Angelis, in conventu resurgentium quod Abel passus sit, quod servatum mandatum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quod Moses legem tulit, quod Petrus super omnes Ecclesia ascendit, DEUS scabit; & clamabit quod comedit pauper.* Honoravit N. Parentes, domum bene rexit. Si DEUS illi palmae de qua in die palmarum ramos pro Christo cadebant, hoc dedit, ut cum omnes aliae arbores fuissent à Romanis vastatae, illa manserit integra, ut scribit Cyrill. Catech. 10. *Quid non dedit huic Defuncto? Aperit illi caeli portas, pacatè venit cum calamo. Recipe hanc aviculariam sub alas tuas Christe, qui ut gallina congregas pullos tuos.*

In Funere Mulieris Nobilis.

Minatus cuidam DEUS Isai. 22. *Mittet te Dominus quasi pilam in terram latam & spatiosam, ibi morieris.* Perit in gramine. Matth. 7. *Lata porta & spatiosa via est qua ducit ad perditionem.* Perit. 1. Cor. 15. *Omnes resurgemus sed non omnes immutabimur.* Imò Prov. 10. *Nomen impiorum putrescit.* Sed bonorum mors. *Jaçant pilam in camera.* Eccl. 12. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & Spiritus redeat ad DEUM qui dedit illum.* Alliditur pila terræ. *In pulverem reverteris.* Sed Ps. 76. *Nunquid in aeternum projiciet DEUS?* Non peribit. 1. Cor. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale.* Corpus caderet, sed Prov. 10. *Memoria justis in laudibus.* Anima ibit ad caelum. Apoc. 14. *Ut requiescat à laboribus suis.* Talis ludus fuit cum

cum Defuncto, iuit pila ad maturam ætatem, &c. *Redite Spiritus ad DEUM.* Deest vobis Pater Filii, amisistis pauperes &c. Sed aliquando mortui è tumulo loquentur. Achatius sepulcus, petitus an viveret? respondit. *Verus obediens non moritur.* Irene Filia S. Spiridionis mortua rogata, ubi depositum reliquisset, ostendit locum Patri: & hic Defunctus reipsa loquitur. Job. 29. *Gloria mea semper innovabitur.* Pila hæc volitabit, ego gloriam eius in hac ponam. *Vocabitur Virago.*

In multa mala impulit invidia dæmonis hominem, ac præcipuè in mortem, & cum abit ex oculis, abit ex memoria. id ut præcaveant, quærunt famam, hinc arces &c. ad fient, & merito, quia Eccl. 24. *Curam habe de bono nomine, hoc enim tibi magis permanebit quàm mille thesauri pretiosi & magni quia gloria à vitiis frænata, divitiæ impellunt, recedunt divitiæ, fama manet, sed ut thesauros compares, labore opus, idem est de fama, augeri non potest nisi per virtutem, hæc verò in arduo est. Sed debet sciri via ad famam.* Aberravit Nero, de quo Sueton c. 55. *Erat illi æternitatis, perpetuæque fama cupido, sed inconsulta.* Erravit & Hieron. Olgiatus, qui occiso Duce Mediolanensi Galeacio cùm ad mortem duceretur, ita se solabatur. *Mors acerba, fama perpetua, stabit vetus memoria facti.* Erravit Erostratus qui propter famam exussit templum Dianæ Ephesi. Sed fama per virtutem quæri debet. Præterea errant qui famam non in factis sed lingvis ponunt, nemo potest augere sibi staturam, hoc neque faciet lingua. Eccl. 12. *Homo Sanctus in sapientia permanet ut sol, nam stultus ut Luna mutatur.* Supra quæ Bern. in Nativ. B. Joan. Bapt. *Mutuatum Lumen nunquam in eodem statu permanet, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparat.* Sic qui conscientias suas in alienis lingvis posuerunt, modo parvi, modo magni sunt, secundum quod adulantium lingvis vel vituperare placuerit vel laudare.

dare. Sed agunt lingua ut aquila cum testudine, elevat illum, ut deiciat in saxum. Quare innotet Eccl. 11. *In fine hominis denudatio operum eius*, quia ut S. Maximus hom. 59. *Illis potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio, nec laudatum tenet elatio.* Quare securè possum loqui de Defuncta N.

Sed quomodo laudabo cum dicat Eccl. 7. *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Sed et si rari viri boni, tamen sunt, unde Eccl. 44. *Laudemus viros gloriosos, unde? Dominantes in potestatibus, imperantes in populo, in peritia requirentes modos musicos, narrantes carmina scripturarum.* Mulieres unde laudandæ? Virgo domi lateat. Conjugata de viro sumit laudem. *Nobilis in portu vir ejus*, ubi judicia celebrabantur, *quando sederit cum senatoribus terræ.* A viro dicitur Palatina &c. à se quid? *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum ejus.* Tota in ornatu, si pauperior, vacat rei familiari. *De nocte surrexit deditque cibaria ancillis suis.* Plebeja, *quesivit lanam & linum. & digiti ejus apprehenderunt fufum* Sed hoc est de Judaicis mulieribus. Ambr. in Pl. 118. *Judaica mulieres si gloria, & nostra gloriose.* Laudat illos Ecclesia. Venerat Venecias Legatus Solimani, habitus honorificè, tamen urgebat ut rediret, quare? quia Venetiis dormire se dicebat non posse, quia sunt in debili fundamento. Mulier quid debile. Mulier ut Isid. quasi, mollis aer, vocatur sexus fragilis. 1. Petr. 3. *Quasi infirmiori vasculo muliebris impertientes honorem* Tamen in hoc debili, sunt pretiosa ædificia. Talis fuit Defuncta N. quare *Virago.* Cum iussus fuisset quidam in parva gemma sculperet XI. millia Virginum, sculpsit Arcem, & ex illa unam exeuntem virginem, & per aliam portam intrantem aliam, reliquas dixit esse in Arcè. Arx est mulier. Gen. 2. *Edificavit D. DEUS costam in mulierem.* Ornatum hoc castrum, à genere

in Defuncta, ab Affinitatibus. In prima porta, primus ex familia, in altera ultimus, vel filii, intra arcem alii, Applaudit natali magnorum cælum. Bzovius ad annum 1164. cum nasceretur S. Thomas Aquinas, Ambros. Senen. Jacobus Meiranus, omnes Ord. Prædic. tres Lunæ aparuerunt in cœlo. Cum S. Aldegundis, Sol alter lucidissimus supra domum paternam stetit. Cum Romæ Lucius Servilius in lucem prodit instar apum volitabant stellæ supra domum quæ in varia palatia cum magna luce descenderunt, augures explicuerunt, quod Servilius cum multis initurus esset affinitates. Quare proles notantur per Solem, Lunam, stellas. Sed & Gen. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Hoc impletum in Defuncta &c. Sed quare, addidit Abraham. Ibid. *Et sicut arenam quæ est in litore maris?* Respondet Philo lib. 1. de Abraham, *Propter sustinentiam*, quia arena illa sustinet mare. Sustinuit proles Abrahamæ Pharaonem, Sennacheribum, Moabitas, Antiochum, Passa similes impetus hostium Patria, & ecce Judic. 5. *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*, descendunt interram, fiunt arena, sistunt impetum maris. Tales Majores & Filii Defunctæ. Maxime in bello N. ibi de Patre ejus potest dici quod de Lud. Montonorentio Duce Gallorum qui ab Hispanis defendit partem Galliæ dictam Provincia. *In omnibus expeditionibus fuisi victoriosus, & in Viennensi gloriosus: in aliis vocatus es imperator, in hac Pater & Servator.* Ita & aliis maribus imperabant. Job 38. *Usque huc venies, & non pro cedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quare meritò potest dici de Defuncta, quod de Debora S. Ambr. lib. de vidu. *Domo propria filium produxit Ducem exercitûs, ut possitis agnoscere quod vidua valeat instruere Bellatorem.* Itaque *Virago.*

Nescio cur S. Greg. Mulierem comparat scalæ, fortè tamen ideo, quia cum Jobo dæmon omnia abstulisset, uxorem reliquit,

reliquit, ut per istam tentaret, quo considerato Greg. 3. Moral. 5. In alto Job, mentem fixerat, & idcirco hanc hostiles insidias irrumperere non valebant. Quaritur ab adversario in hanc munissimam artem quibus gradibus ascendatur, quare ait sibi, *Vicina est viro mulier atque subjecta.* Effeci per Evam, per Madianitides, & modò contra Jobum succedet. Cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam quã ad cor viri ascendere potuisset invenit. Ita Greg. mulierem appellavit scalam dæmonis. Sed Rupere in Genes. vocat scalam cœli. Jacob peragrinus Gen. 28. dormiens vidit scalam. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlos, Angelosque DEI ascendentes & descendentes per eam.* Quare Repert. sic ad Jacobum, *Quid somnus Jacob? video scalam, & scala quid significat? Jam tibi Rachel preparatur.* Ergo scala cœli mulier sed quare? quia per eam Angeli descendebant & ascendebant. Et Defunctam voco scalam. Guicciardinus in hist. Jud. Blancam uxorem Eustachii comitis Bononiensis, ita laudat. *Homines genuit, Angelos fecit.* Defuncta hoc egit educando sic bonus David 1. Reg. 19. dicitur Angelus. *Bonus es tu in oculis meis sicut Angelus DEI.* Parentes qui in hoc errant vocat S. Bern. *Non Parentes sed peremptores* Pinxerat quidam Picam in nido plumas componentem, inscrip. *Uo mollius cubent.* Pinxit & Aquilam virgultu componentem. Inscrip. *Altiùs ita labunt.* Alii parentes sunt ut Picæ, ornant filios &c. Quid erit filius? pica. Aquila durè educat, sed pullus erit aquila. Ita Defuncta educavit ut Patriæ &c. evolarent. Deut 32. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos.* Scribit Ferre, de gest. Gall. Quardam Mater pre amore nolebat Filium domo dimittere, urgebat ille jam maturior, emitte, dicendo. *De Filio Mater non facias idolum.* Faciunt idola Matres blandientes, unde Filiis accidit quod idolis Pl. 113. *Simulachra Gentium, argentum & aurum &c.* Vestit illum

illum, Sic idolum vadit ad Comitiola. *Os habent & non loquentur.* Vadit ad iudicia, *Aures habent & non audient.* Vadit ad castra, *Pedes habent & non ambulabunt.* Defuncta ad labores applicabat Filios, S. Felicitatem ita laudat S. Greg. hom. 3. in Evang. *Nunquid ergo hanc feminam Martyrem dixerim? quae septem pignoribus ad regnum praemisit, toties ante se mortua, ad poenam prima venit, sed pervenit octava.* At Defuncta N. nostra Felicitas dolorem in corde habuit, cum sciendo incerta belli 2. Reg. 11. *Varius est eventus belli.* Ad castra mitteret Filios. Cum abiret ad bellum Filius, Mater ad poenam prima, abiret alter &c. Quare, *vocabitur Virago.*

Greg. Nyssen. in Cant. *A prosperitate non stecti grande miraculum.* Extollit, ideo cum alis pingit Fortunam Alciatus, opus insistere solido. *Ponant in DEO spem suam, non in affinitate, &c.* Depinxit in imagine navis Ezechiel 27. *Tyrum, postea familias magnas. Finitimi tui qui te edificaverunt, impleverunt decorem tuum. Abiectionibus de sanis extruxerunt te cum omnibus tabulis maris, cedrum de libano tulerunt, ut facerent tibi malum, quercus de Basan dolaverunt in ramos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico, & praeoriola de insulis Italiae. Byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum, ut poneretur in malis.* Qui vero spectabant ad Nauticam, vel regimen, mercaturam, numerat ex plurimis nationibus, vide ibi. Ita & familiam extruunt affinitates, Promotiones, Dignitates, vestes, successiones &c. Vadit navis, omnes laudant. An diu? Tyria navis cito periit. Quare? num peritas nautas non habuit? victum? &c. Invenietis omnia. Sola doceat anchora, in se speravit, non in DEO. Quare ibid. *O Tyre tu dixisti, perfecti decoris ego sum, nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opus tuum, & omnis multitudo tua, quae erat in medio tui.* Ita his accidit qui non sequuntur Davidem Pl. 61. *Sperate in eo omnis congregatio*

Q

populi

populi, Audivit Defuncta, & secuta est, sæpè repetebat Pl. 57. Ab altitudine dies timebo, ego verò in te sperabo. Progressa tum in altum ut Sol meridianus, sed scio dicebat etiam alias domos, Job. 4. *Flante DEO periisse.* Quare DEUS meus anchora, Ego verò in te sperabo. Habuit si quæ Mater successus, non se extollit, totum DEO tribuit, imò confundeatur his qui se extollunt. Alienati sunt Pl. 57. *Peccati oves à vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* De genere se jactant, forritudine. *Locuti sunt falsa.* Quare falsa? Quia erraverunt ab utero, non meminerunt quales nati. Isai. 15. *Attendite ad petram unde excisi estis, & ad cavernam laci de qua præcisi estis.* De petra, noluit esse adamantes, 1. Cor. 14. *Omnia honestè & secundum ordinem stant in vobis.* Egit semper modestè defuncta, ideò Virago. Pl. 121. cui DEUS multa dederat. *Propter Domum D. DEI nostri quæ sibi bona tunc.* Taliter dantur Ecclesiasticis, fit hoc in Ecclesia quod in mari. Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & revertuntur ut iterum fluant.* Ita & reditus Ecclesiastici redeant in Ecclesiam. Sec, & sæculares non ideò habent bona ut emant sibi infernum. Ezech. 1. *Sume gladium radentem pilos.* Rasit caput & barbam, & pilos in tres partes divisit, unam combussit in medio civitatis, alteram concidit, tertiam in ventos disjecit. Aug. tr. 50. in Joan. *Capillus terge, si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes terxisti, capilli enim superflua corporis videntur; habes quid aqas de superfluis tuis, tibi superflua sunt, sed peccata Domini necessaria.* Sed homines ita de divitiis disponunt, Hug. Card. *Divitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia mittitur ad gladium.* Quomodo? *Divitias suas alii expendunt in igne libidinis, alii in vento superbie & laudis humana favore, alii gladio cedunt pilos, qui divitiis suis lites nutriunt.* Hi omnes infernum sibi emunt. At Christus jussit Luc. 12. *Facite vobis sacculos qui non veterascunt.* Chrysol. serm. 22. *Hoc monito Christus voluit se di-*

re di-

te ditare non perire, perpetuari non vacuari saculos imperavit
 iussit te transferre non perdere. Dux sunt in homine partes: &
 sibi similes, & contrariæ. Lien ad te trahit nutrimentum cum
 suo damno, nam oppletur, obstruitur, ventriculus attrahit,
 sed aliis membris distribuit Prov. 11. *Alii dividunt propria &
 ditiores fiunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Ad
 priores spectat defuncta, dabit templis &c. Verè *Virago*.

Ostendit defuncta animum virilem in virtutibus. 3. Reg. 4.
 dicitur de Salomone. *Dedit illi DEUS sapientiam, prudentiam
 multam nimis, & latitudinem cordis.* Latum cor, in quo multa
 possunt reponi, nulli est angustum. Hanc latitudinem ostendit
 DEUS in corde S. Claræ, cum enim mortuæ abluerent,
 corpus, adverterunt supra cor ultra modum pectus elevatum;
 cor aperitur, utpote magnæ magnitudinis, inveniuntur in
 eo instrumenta passionis Dominicæ formata ex carne, & in
 fundo cordis tres globuli quorum unus tantum ponderabat
 quantum duo, & utcumque mutarentur. Figura hæc SS. Trini-
 tatis, O cor amplum! Et defuncta cor amplum habuit, intra-
 vit in illud v. g. S. Dominicus, S. Franciscus &c. omnes in eo,
 S. Ambros. 4. Hexam. 6. quærit cur Sol & Luna vocata
 sunt luminaria magna? respondet. *Exemplum magnitudinis
 eorum evidens, quod omnibus hominibus orbis Lune idem videtur;*
*nam etsi interdum augetur lumen ejus atque minuatur, tamen
 eadem nocte qualis mihi apparet, talis & omnibus. Sol similis, &
 indis & Britannis, eodem momento videtur cum oritur, nec cum
 vergit in occasum minor apparet Orientalibus quàm Occidentalibus:*
Sol à nullis distat, nulli presentior, nulli absencior est. Signum ma-
 gnitudinis, quia æqualis omnibus. Magnum cor in defuncta,
 quia æquale omnibus &c. Itaque *Virago* in omnes liberalis.

Mulieres aspera fugiunt, mortificationem. Facit scul-
 ptor statuam, non eget illa reparatione: facit Hortulanus ex

herbis, eget quia herbæ excreſcunt. Sancti in cœlo ſunt ut ſtatua de marmore, non mutantur, nos ut ex herbis Eccl. 7. *Hoc inveni quod fecerit Dominus hominem rectum, & ipſe ſcruſi- nitis miſcuerit queſtionibus.* Multæ herbæ excreverunt, opus forſice. *Mortificate membra veſtra, Mortificationem JEſu in corpore veſtro circumferentes.* Faciebat hoc defuncta *Virago.*

Philippus III. Rex Hiſpan. Margaritæ Auſtriacæ Spoſitæ ſuæ, miſerat ex adamante Sol cum inſcript. *Hec quoque orna- bit.* Eccl. 26. *Sicut Sol oriens mundo in altisſimis DEI, ſic ſpecies mulieris bonæ in ornamento domus ejus.* Mulier ſimilis Soli; calis defuncta. Illuſtravit Eccleſiam &c. Luxit ut Sol. Eccl. 1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibique reuoluit, gyrat per meridiem, ſteſcitur ad Aquilonem.* Cucurrit defuncta ad occalum. Joſue 10. *Sol contra Gabaon ne movearis.* Vixit defuncta quamdiu opus erat. Surius 19. Maij. S. Dunſtanus habuit cum Angelis familiaritatem, venerunt ad illum die Aſcenſionis Domini. *Dunſtane veni in cœlum.* Sanctus reſpondit. *Cras ibo, hodie volo concionari, fecit propter charitatem.* Ita defuncta diu vivere deſiderabat propter prolem; hæc edu- catâ dixit. *Curſum conſummavi.* Deut. 33. Precatus Moyſes tribui Aſer. *Sicut dies juventutis tua: ita & ſenectus tua.* Vixit in Juventute defuncta ſanctè, mortua ſanctè. Virago in vita, virago in morte. *Viam univerſe carnis ingreſſa.* Ut pila in al- tum evolavit. Eccl. 49. *In omni ore ejus memoria quiſi melin- dulcorabitur.* Et merito, quia quod Caſſiod. lib. 2. varia. 5. ſcripſit de Amalaſunta, hoc defunctæ competit. *Si prudentem quæris? hæc fuit, ſi fortem? nulli ceſſit, conſilio optima, Religione nitens, prole beata, ubique clara.* Liviæ Lucretiæ Romæ ſcripſit hoc quidam Epitaphium. *Caſta vixit, lanam fecit, Domum ſer- vavit.* Hoc ſervit defunctæ, lanam fecit per bona opera. Ap- pone illi: *Requieſcat in pace.*